Quelle: https://manuscripta.at/?ID=8252
Copyright: Salzburg, Universitätsbibliothek



eu in terra deserta · in loco horroris et vastae solitudinis Circumdavit eum et docuit · et custodivit eum quasi pupillam oculi sui. Sicut aquila provocans ad volandum pullos suos · et super eos volitans expandit alas suas et assumpsit eos · atque portavit in humeris suis. Dominus solus dux eius fuit · et non erat cum eo deus alienus. Constituit eum super excelsam terram · ut comederet fructus agrorum. Ut sugeret mel de petra · oleumque de saxo durissimo. Butyrum de armento et lac de ovibus · cum adipe agnorum et arietum filiorum Basan. Et hircos cum medulla tritici · et sanguinem uvae biberunt vehementissimum. Incrassatus dilectus et recalcitravit · incrassatus impinguatus dilatatus. Dereliquit deum factorem suum · et recessit a deo salutari suo. Provocaverunt eum in diis alienis · et in abominationibus ad iracundiam concitaverunt. Immolaverunt demoniis et non deo · diis quos ignorabant. Novi recentesque venerunt · quos non coluerunt patres eorum. Deum qui te genuit dereliquisti · et oblitus es domini creatoris tui. Vidit dominus et ad iracundiam concitatus est · quia provocaverunt eum filii sui et filiae. Et ait abscondam faciem meam ab eis · et considerabo novissima eorum. Generatio enim perversa est · infideles filii. Ipsi me provocaverunt in eo qui non erat deus · et irritaverunt me in vanitatibus suis. Et ego provocabo eos in eo qui non est populus · et in gente stulta irritabo eos. Ignis succensus est in furore meo · et ardebit usque ad infimum novissima. Devorabitque terram cum germine suo · et montium fundamenta exurit. Congregabo super eos mala · et sagittas meas complebo in eis. Consumentur fame · et devorabunt eos aves morsu amaissimo. Dentes bestiarum immittam in eos · cum furore trahentium super terram atque serpentum. Foris vastabit eos gladius · et intus pavor. Iuvenem simul ac virginem lactantem cum homine